A Architectum, cujus induſtriam in exornando illo Fonte expetebat: *in tract. Ioan. de Dondis, de fontibus calidis Patavinis*.

Ludovicus Zimalia Bergomas tractatum evulgavit de Balneis S. Pancratii vallis Tranſcherianæ agri Bergomatis, & ſcripſit de eiſdem Guilliel. Gratarolus.

Vires balnei, quod Burmi vocant, modusq; quo illius aquæ exhiberi debent, à Petro de Buſſignano latè deſcripta repe
riuntur. Sed non cedunt Italorum thermis illæ, quæ ſunt apud Helvetios, atq; inter has eæ, quas vocant Badenſes in oppido Badæ, quod balneum ſonat, ad amnem Limazum. Volunt, illius balnei etiam Tacitum meminiſſe. Affirmat Con. Geſnerus peculiari de his libello, quòd nullibi terrarum amœniores, & ſplendidiores thermæ ſint iſtis, & ad quas tanta hominum multitudo certatim confluat. Aliarum in Regione eadem mentionem alibi facit Monſterus *in ſua Coſmograph.* ſed minùs celebres ſunt Badenſibus.

Nec eſt, quòd Thermas Aquiſgranenſes apud Ubios prætereamus, & numero plures, & cultu ſplendidas, & virtute efficaces. Carolus M. Imperator his oblectatus, cum vena-
B tum exiiſſet, urbem ædificaſſe hìc perhibetur, cum ibi fundamenta, & rudera Thermarum, ac palatiorum, quæ Granus, à quo nomen loco obvenit, Princeps Romanorum ædificarat, inveniſſet.

In Lotharingia balnea ſunt, quæ Plumbais, quaſi plumbea, ob mixturam plumbi copioſam, appellantur. Auxiliantur malignis, & difficilibus ulceribus, & omnibus morbis cutaneis. Scripſit eorum laudes, & virtutem Joachinus Camerarius non inelegantibus hendecaſyllabis, relatis à Conrado Geſnero.

Hiſpania etiam ſuos fontes, lavacra, & thermas habet, non tamen in tanta frequentia, quanta Italia. Rari etiam Scriptores earum in ſuis operibus meminerunt.

* Scriptores.

De balneis in genere, eorumque virtute, & aliis eò pertinentibus, ſcripſit Hippocrates, Galen. Avicenna. Ex recentioribus Michael Savonarola, Mengus, Blanchellus, Ugolinus Phyſicus, Ugo Senenſis, Oribaſius Sardianus, quorum tamen plerique etiam de particularibus thermis agunt. Exſtat autem Tomus ſingularis de Balneis impreſſus Venetiis
C apud Juntas anno 1553. in quo ſumma diligentia quidquid de hoc argumento à pluribus elaboratum eſt, velut in unum faſciculum colligitur. Opus medicis perneceſſarium.

---

* Balſamum.

Quid ſit?

Balſamum Græca vox, nomen eſt arbuſculi odoriferi, viti ſimilis, quod intra bina cubita ſubſiſtit, & anno tertio fructiferum eſt. Odore aliis omnibus præſtat, ſuccumque emittit, quem opobalſamum dicunt: ſiquidem ὀπὸς Grçcis eſt ſuccus. Alii βαλσαμέλαιον dicunt.

Locus Balsami.

De eo *Dioſcorides l.1. cap.18. & ibi Matthiol. Theophraſt. l.9. de hiſt. Plant. Plin. l.12. c.25.* Balſamum in valle Syriæ provenit: ejus hortos duos tantùm affirmant, alterum viginti jugerum, alterum multò minorem. Arboris magnitudo,
D quæ malo Punicæ magnæ: rami multi: folium rutæ ſimile, candidum tamen, perpetuò virens: fructus ſimilis terebintho, tam magnitudine, & figura, quàm colore. Is quoq; admodùm odoratus eſt, & magis quàm lachryma. Colligi lachrymam in caudice, & parte ſuperna tradunt, facta inciſura unguibus ferreis: ſubſidere, cum æſtus maximè angit: collectum verò æſtate fieri tota: ſed quód manat, multum non eſſe. Vix enim toto die concham poſſe impleri: odorem tamen inferri eximium, & copioſum, adeò ut ex parvo ſpatiũ perlongum valeat permeare. Atque ita videtur, ſolo Judæorum hanc plantam à Deo conceſſam dumtaxat fuiſſe.

Cæterùm adverſari Plinio, aliiſque id tradentibus, experientiam conſtat, qua à principio naſcentis Eccleſiæ ſemper fuit uſus Sacramenti Cõfirmationis, cujus materia eſt chriſma, quod conficitur neceſſariò ex oleo olivarum, & balſamo.

Refert Joſephus *lib.8. Antiq. cap.8.* Reginam Saba obtuliſſe Salomoni plantam balſami, cujus hodie, inquit, ferax eſt noſtra regio, illiuſque Reginæ munificentiæ acceptam ferri oportet. *Et l.15. cap.5.* de agro Herichuntino loquens: Is, inquit, & balſamum fert, quod unguentorum longè pretioſiſſimum ibi tantùm provenit, & eximiarum palmularum E vim maximam.

S. Hieronymus, exponens verba illa *Ezech. 27.* Juda & Iſrael, balſamum, mel, & oleum, & reſinam propoſuerunt in nundinis tuis; dicit, terram Judææ, ſive Paleſtinæ, copiis harum rerum abundare, & balſamum naſci in vineis Engaddi. Quod etiam affirmat *Gregorius*.

Nunc denique magna copia balſami ex India defertur, quod ſive ſit ejuſdem ſpeciei phyſicè, ſive non, tamen non eſt fictitium, ſive adulterinum, ſed verum balſamum, licèt colore differat: quia in fragrantia boni odoris, & in effectibus, aliiſq; proprietatibus habet ſufficientem ſimilitudinem, & convenientiam cum alio Balſamo Syriaco, & ideò ſimpliciter, & univocè balſamum exiſtimatur, & nominatur.

Ægyptus quoque balſami hortos habet, quorum unum ſe vidiſſe affirmat Bellonius *l.2. cap.29. obſervationum ſuarum*, haud procul à Cairo.

Et licèt Theophraſtus in ea opinione ſit, id ſylveſtre, & ſpontè naſcens non inveniri: aſſerere tamen audemus, ab omni ævo in felici Arabia fuiſſe, atque etiam nunc naſci, cujus lignum, & fructus etiam olim ad nos perlata fuerint cum F aliis Arabiæ mercibus.

Dioſcorides ſua ætate Carpobalſamum adulterari conqueritur. Sed & ex Diodori Siculi, vetuſtiſſimi Scriptoris Arabiæ felicis opes enumerantis, verbis manifeſtè liquet: maritimis enim locis Balſamum producere ait. Cultum igitur id eſſe non intelligit, ſed ſpontè naſcens.

Pauſanias etiam tradit, Balſamum Arabiæ fruticem eſſe.

Strabo prodit, in Syria naſci apud lacum Genezareth, inter montem Libanum, & Antelibanum.

Usus In Sacris.

In Lege Euangelica Sacramentum Confirmationis conferri debet ex Chriſti inſtitutione in chriſmate tanquam materia neceſſaria, ad cujus eſſentiam pertinet Balſami cum oleo olivarum commixtio: eſtque hæc ſententia S. Thomæ, & omnium recentiorum Theologorum: neq; unquam conſtat aliter collatum in Eccleſia hoc Sacramentum. Ita definivit Conc. Florent. dum ita dicit: Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt chriſma, confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ; & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto. G Legatur Soarez *in 3. par. q.72. diſp.33. art.4. ſect.1.*

In Rebus Aliis.

Balſamo utuntur medici ad curationem vulnerum, ſiquidem calore ſuo, & acrimonia, quam modicam habet, ſanat & fovet. Servit quoque odoribus conciliandis, atque inſtar aliorum aromatum, confert ad movendam putrefactionem, & languores omnes ſedat, roburque nervis addit.

---

* Bannus.

Quid? & illius uſus.

Bannus vox eſt Germanica, ut ex etymo illius conſtat, ſive à voce *Bant*, quod vinculum, ſive funem; ſive à voce *Baen*, quod viam tritam, τῷ βαίνειν, id eſt, planitiem veteribus ſignificat, deduxeris. Eſt autem J.C. uſitata vox, ſignificans juriſdictionem, proſcriptionem, vel edictum publicum. Unde bannire, eſt edicto aliquid jubere, vel vetare. Etiam accipitur pro anathemate, ſive proſcriptione. Neque quid- H quam hoc tempore magis notum, ac in uſu; quando Ferdinandus Imperator pleroſque Principes imperii ſibi rebelles, & imperio vim inferentes, banno Imperii, ut vocant, primũ compeſcuit, & refractarios; deindè poſtquam anno, & aliquot diebus illi inſorduiſſent, armis ad obedientiam adegit, & terras eorum ſuæ poteſtatis fecit. Cujus rei exemplum obvium eſt Fridericus Comes Palatinus, è Rege Bohemiæ factus nutritius apud Batavos, cum aliis etiam rebellibus. Qui omnes exuti poſſeſſionibus avitis, banni Imperialis virtutem experiuntur. *Ioachimus Perionius*, non unam hujus vocis ſignificationem, & vim, ac uſum inſinuat. Vult enim accommodari ad delectum militum, præſertim ſi generalis aliquis inſtituitur: ad conjugia, ſiquidem denuntiationes præviæ per Concilium Tridentinum decretæ, nomine Bannorum communiter vocantur: ad molas priſtinas, & furnos, ſi videlicet communes ſint, & publici. Atque hoc modo dici vult ἀπὸ τοῦ παντὸς, tranſlato π in β. πᾶν autem idem eſt, quod omne, totum, univerſale. Teutones quoque vinculum excommunicationis nomine Ban appellare ſolent.

* Baptiſ-

A

* Baptiſmus.

Definitio, & Etymologia.

Baptiſmi nomen Græcum eſt à Βάπτω, & Hebræis Tabal dicitur; ac utrumque immerſionem propriè ſignificat, ſive ablutionem. Eſtque varius ejus uſus in ſacris Litteris.

Apud *Marcum* enim notatur ſuperſtitio Phariſæorum, qui *à foro, niſi baptizentur, non comedebant*. A foro namque domum redeuntes, eò quòd in illo varii generis homines verſarentur, quorum converſatione ſe pollui arbitrabantur, ſe totos immergebant aqua, ne quid immunditiei in corpore remaneret. Ideòque Euangeliſta utitur verbo βαπτίζεσθαι, non verò νίπτεσθαι. *Marci cap.7.*

Apud eoſdem erat uſus frequentiſſimus baptiſmi calicum, & urceorum: omnia enim, quæ contrectaturi prandentes erant, ne fortè eorum attrectatione, ſi immunda eſſent, contaminarentur, priùs eluebant. *Ibid.*

Baptiſmus etiam pro *Pœnitentia* nonnunquam uſurpatur.
B Ita *de Ioanne Baptiſta* legimus, quòd prædicaverit baptiſmum pœnitentiæ. *Luc. cap.3.*

Item pro *Paſſione*, ſive operibus laborioſis, & pœnalibus, quæ ad Dei honorem, aut proximi utilitatem ſuſcipiuntur facienda. Quo ſenſu dixit *Chriſtus* diſcipulis primatum ambientibus: *Poteſtis baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Hoc eſt, ſuſtinere paſſionem, quam ego mox ſuſtinebo. *Mar. c.10.*

Etiam pro *Morte* accipit hanc vocem baptiſmi *Chriſtus* apud Lucam: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, uſque dum perficiatur?* Quod omnes Interpretes intelligunt de morte, quam ſubiturus erat. *Luc.12.*

Fuiſſe etiam olim nonnullos, qui pro defendenda mortuorum reſurrectione mortem oppeterent, colligitur ex illo *Pauli* teſtimonio: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt?* Quod tamen alii non malè exponunt de operibus ſatisfactoriis pro defunctis ſpontè ſuſceptis. *1. Cor. cap.15.*

Etiam à contactu mortui, nempè cadavere hominis, olim lavabantur, cum ſe pollui crederent, ſi illud contigiſſent. Unde Scriptura: *Qui baptizatur à mortuo*, id eſt, contactu mor-
C tui; *& rurſus tangit illum, quid proficit eius lavatio?* ubi Baptiſmo pro ſimplici ablutione utitur.

Baptiſmi etiam nomine *Infuſio Spiritus ſancti* indicatur. Sic enim *Ioannes Baptiſta* dicebat de Chriſto: *Ille vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igne*. Ubi de miſſione Spiritus S. in die Pentecoſtes facienda eum loqui, probabiliter dici poteſt. Quamvis non poſſit negari, quin etiam de Chriſti baptiſmo in aqua loquatur. Id enim antitheſis illa inter baptiſmum ſuum, & eum quem Chriſtus daturus erat, convincit. *Matth. cap.3.*

Hinc *Lucas* in Actis Apoſt. teſtatur, quòd Chriſtus præceperit Apoſtolis, ne *diſcederent ab Hieroſolymis, ſed expectarent promiſſionem Patris, &c. Quia*, inquit, *Ioannes baptizavit vos aqua, vos autem baptizabimini Spiritu S. non poſt multos hos dies*. Ubi non eſt ſermo de Sacramentali baptiſmo, jam enim illo baptizati erant: ſed de effuſione Spiritus S. quo velut baptizandi erant, & penitùs immergendi. *Actor. cap.1. verſ.5.*

Sunt, qui volunt hoc nomen aliquando torquere ad doctrinam, ut baptiſmum accipere, idem ſit, quod doceri, vel in-
D ſtrui. Verùm eam acceptionem, ut peregrinam, novam, quæque in Scripturis fundamentum non habeat, aut exemplum, meritò Catholici Scriptores explodunt. Neque poteſt illis patrocinari, quòd Phariſæi rogati à Chriſto de *Ioannis* baptiſmo, an is è cœlo foret, an ex hominibus? *Matth. c.21. Cogitabant intra ſe, ſi dixerimus è cœlo, dicet nobis, quare ergo non credidiſtis ei?* & ſic de doctrina videantur reſpondere: Quia iſti, Chriſti intentione perſpecta, reſpondent. Neque enim ignorabant, oportuiſſe doctrinam cum baptiſmo conjungi, imò baptiſmum eſſe divinum quoddam teſtimonium, ideòq; ſe non poſſe illum probare, & doctrinam repudiare.

Communis verò hujus nominis acceptio eſt, ut ſignificet *Sacramentum Baptiſmi*, ſive regenerationis. Quod aliis nominibus vocatur à veteribus φωτισμὸς, id eſt, illuminatio: (quia in eo infunditur habitus fidei) gratia, donum, ſigillum, myſterium, expurgatio, juxtà varios illius effectus. Vide *Clement. lib. Pædagog. cap.6. Nazian. orat. de baptiſ. Chryſoſt. hom. ad baptizatos.*

Manichæorum inter alios errores hic etiam fuit, ut Baptiſma dicerent ipſummet Chriſtum, qui de ſe dixit: *Ego ſum aqua vivens*. Ita Patriarchæ Conſtantinopolitano reſ- E pondiſſe fertur quidam Timotheus Manichæus, circa annum Chriſti 722. ut tradit *Baron. tom.9. anno eod. num.2.*

Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ. Ita *Catechiſmus Concil. Trid.* eſtque conflata partim ex *cap.3. Ioannis*, partim *ex cap.5. ad Epheſios*.

Sive *Baptiſmus* eſt Sacramentum regenerationis ex aqua & Spiritu S. Tertiò, ex Apoſtolo: *Eſt lavacrum aquæ in verbo vitæ.*

Denique ex D. Thoma *p.3. q.66.* Eſt ablutio corporis facta ſub certa verborum forma.

Philippus Melanthon in locis anni LVIII. tit. de ſacrificio, deſcribit Baptiſmum, quòd ſit ſignum, quo Deus nobiſcum agit, & recipit nos in gratiam. Verùm hoc in omni Sacramento, & verbo Dei locum habet.

Aliter, neq; tamen meliùs, Joan. Calvin. Baptiſmus, ait *l.4. Inſtit. cap.15.* §.1. eſt ſignum initiationis, quo in Eccleſiæ coaptamur ſocietatem, ut Chriſto inſiti, Dei filiis annumeremur. Sed neque hic quidquam peculiare, quod aut Circumciſioni veteri, aut verbo prædicato non æquè conveniat: neque ullam partem eſſentiæ Baptiſmi attingit. F

* Institutio.

Baptiſmi inſtitutio à Chriſto facta eſt eo die, quo ipſe in Jordane à Joanne Baptiſta fuit baptizatus. Tunc enim, & materiam deſignavit, quando non ut mundaretur ipſe, qui immundus non erat; ſed ut mundaret aquas ſacri corporis ſui contactu, eaſque tam ſancto miniſterio aptaret, vim iiſdem regenerandi contulit. Inſuper & forma deſignata eodem tempore fuit. Nam & Filius baptizandus adfuit, & Pater illi teſtimonium perhibuit voce cælitùs delapſa, & Spiritus ſanctus ei in ſpecie columbæ apparuit. Videatur *Ambroſ. lib.3. in Lucam cap. ult. Hieronym. in cap.3. Matth. Damaſc. lib.4. de fide cap.10.*

Quod autem *Chriſtus* hoc die decreverat, mox declaravit *Nicodemo*, qui nocte ad eum venerat, & baptiſmum fore medium ad ſalutem neceſſarium, ejuſque materiam claris verbis demonſtravit. *Ioan. cap.3.*

Inſuper ante paſſionem ſuam ipſe per diſcipulos baptizabat, indubiè baptiſmo à ſe inſtituto; non autem, ut nonnulli contendunt, baptiſmo Joannis. Nuſquam enim legitur rebaptizatos illos, quos diſcipuli Chriſti baptizave- G rant ante paſſionem, cum tamen denuò baptizatos legamus eos, quos Joannes baptizaverat. *Act. cap.19.*

Sufficiebat autem ad effectum baptiſmi conferendum paſſio illius prævisa: quomodo etiam ad veterum juſtificationem ſuffecerat. Quamvis *Chriſtus* etiam ante mortem habuerit merita infiniti valoris, ſufficientiſſima ad proprium, & intrinſecum baptiſmi effectum. Per accidens namque erat, quòd non aperiret janua regni cœleſtis ante mortem Chriſti: Nondum enim debitum totius naturæ perſolutum erat.

* Materia.

Omnis, & ſola *Aqua vera, & naturalis*, eſt eſſentialis materia Baptiſmi. Hanc deſignavit Sacramenti hujus inſtitutor Chriſtus, dum ſe in Jordane baptizari permiſit. & expreſſis verbis pronunciavit, cum dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. Joan. cap.3. & alibi.*

Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum, jam à Philippo inſtructus, qui ei euangelizaverat Jeſum, dum per viam ambulans veniſſet ad quandam aquam, ait Philippo: *Ecce aqua: quis prohibet me baptizari? Actor. cap.8.*

Æmulatio orta erat inter diſcipulos *Ioan. & Chriſti*, quòd H illi videbant hos etiam baptizare in aqua, uti faciebat Joãnes. Neque enim capiebant excellentiam baptiſmi Chriſti, non ex aqua ſolùm provenire, ſed ut Joan. dixerat, inſuper à Spiritu ſancto, qui in eo dabatur. *Ibid. Paulus* Apoſtolus confert baptiſmum cum mari Rubro. *In ep.1. ad Corinth. c.10.*

Petrus verò Apoſtolorum Princeps eundem comparat Diluvio, dicens: *In Arca per Noe fabricata, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam: quod & nos nunc ſimilis formæ facit baptiſma, &c. 1. Petri cap.3. verſ.21.*

Abbas Andreas Octavi decimi, inquit *Sophron.* cum eſſemus in Alexandria, narravit nobis, dicens: Cum eſſem juvenis, indiſciplinatus valdè, & inquietus fui. Die ergo quadam perſecutionem paſſi pro noſtra inquietudine fugimus in Palæſtinam, ego & novem alii: inter quos unus quidam erat Induſtrius, alius Hebræus. Cum ergo veniſſemus in eremum, infirmatus eſt Hebræus uſque ad mortem, &, Deo teſte, in magno mœrore conſtituti eramus, neſcientes, quid illi faceremus. Verùm tamen, ut eſt conſuetudo ſocialis charitatis, non illum deſeruimus: ſed unuſquiſque

no-

A noſtrum pro viribus tolerabant eum, volentes vel in civitatem, vel in emporium illum ducere, ne moreretur in eremo. Cum verò adoleſcens ex inedia, & vehementiſſima febre, immoderatoq; labore, & ſiti, præ ſolis æſtu, totus jam ferè reſolutus eſſet, atq; deficeret, propinquans ad exitum, neque portari poſſet, decrevimus cum multis lachrymis illum dimittere in eremo, & abſcedere, metuentes, ne nos ipſi quoque ſiti deficeremus. Cum igitur illum in arena plorantes poſuiſſemus, videretq; nos abire velle, cœpit nos adjurare, dicens: Per Deum, qui fecit cœlum & terram: Per Deum, qui inclinavit cœlos, & deſcendit pro ſalute humani generis: Per Deum, qui judicaturus eſt vivos, & mortuos; nolite pati, ut Hebræus moriar, ſed tanquam Chriſtiani facite mecum miſericordiam, & baptizate me, ut Chriſtianus de hac vita exeam, & ad Dominum pergam. Nos verò dicebamus ei: Verè, frater, non licet nobis hoc facere, ſæculares enim ſumus: hoc autem Epiſcoporum, & Presbyterorum eſt opus; ſed neque aqua hìc eſt. Ille verò perſiſtebat, ſimiliter adjurans nos, & plura etiam cum lachrymis adjiciens, ac dicens: Nolite, Chriſtiani, me privare hoc divinitùs adulto
B munere. Cum ergo in magna hæſitatione eſſemus, Induduſtrius ille divinitùs ait nobis: Erigite illum, & exuite. Ereximus itaque cum magno labore eum, erectumque tenentes exuimus. Induſtrius autem ille implens ambas manus ſuas arena, tertiò effudit ſuper caput ejus, dicens ita: Baptizatur Theodor. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Nobis verò per ſingula reſpondentibus: Amen (Dominus Deus teſtis eſt, fratres) ita continuò ſanavit, & corroboravit eum Chriſtus Deus noſter, ut nullum jam in eo priſtinæ infirmitatis remaneret indicium, vel qualiſcunque paſſionis; ſed ſanus, & valens, cum omni alacritate, & florido aſpectu, quod reliquum erat itineris, per eremum ambulavit, ſemper nos præcedens; ita ut admirantes talem, & tam ſubitam mutationem, omnes laudaverimus, & glorificaverimus ineffabilem majeſtatem, & benignitatem Chriſti Dei noſtri. Venientes autem Aſcalonem, adduximus eum ad beatum, & S. Dionyſium ejus urbis Epiſcopum, narrantes, quæ fratri in via contigiſſent. Quibus auditis, ſanctus, admirandusque Dionyſius ſtupens ob tam novum, inauditumque miraculum, convocato Clero expoſuit ei totum nego-
C tium, ut decerneret, utrùm effuſio illa arenæ reputanda eſſet fratri in baptiſmum, an non? Et alii quidem dicebant, debere illi reputari in baptiſmum, propter inauditam miraculi magnitudinem: alii verò dicebant, Non; Theologus quippè Gregorius omnia baptiſmata dinumerat: Baptizabat, inquiens, Moyſes, ſed in aqua, & anteà in nube, & in mari baptizavit; & Joannes, non jam quidem Judaicè; non enim in aqua ſolùm, ſed & in pœnitentia: Baptizat autem & Jeſus; ſed in Spiritu ſancto. Iſtud perfectio eſt. Scio & quartum baptiſmum, per martyrium, & ſanguinem. Scio & quintum, lachrymarum ſcilicet. Hæc ille. Quo igitur horum, illi inquiebant, iſte baptizatus eſt, ut etiam ipſius baptiſma roboremus, maximè cum Dominus ad Nicodemum dicat: *Niſi quis natus fuerit denuò ex aqua, & ſpiritu S. non intrabit in Regnum Dei*? His alii contradicebant ſic: Quid ergo? Quia ſcriptum de Apoſtolis non eſt, quòd baptizati ſunt: idcircò non intrant in regnum Dei? Alii rurſus è contra inferebant, dicentes: Ita ſanè illi baptizati ſunt, ſicut & Clemens Stromatæus meminit in quinto Hypotipoſeon. Apoſtolicum enim illud dictum exponens, quo dicitur: *Gratias ago,*
D *quia neminem veſtrum baptizavi*: Chriſtus, inquit, dicitur Petrum ſolum baptizaſſe, Petrus, Jacobum, Andream, & Joannem, illi autem reliquos. Hæc igitur, & alia plurima cum dicta eſſent, viſum eſt beato Dionyſio mittere fratrem illum ad ſanctum Jordanem, illicque baptizari; Induſtrium autem illum ordinavit Diaconum. *In Prato ſpirituali c.716. Vide Niceph. lib.3.hiſt.cap.37.*

Cum *Baſil. ille Magnus* Hieroſolymam baptiſmi ſuſcipiendi gratia cum præceptore ſuo *Eubulo* ſeſe contuliſſet, *Maximum* ejus urbis Epiſcopum adierunt; ad cujus pedes ſe abjicientes, rogarunt, divinum ſibi conferri baptiſma, ſive regenerationem in Jordanis flumine. Quos ubi ſanctus ille Epiſc. vidit, pro ſua erga omnes humanitate illorum annuit precibus; venitque cum viris fidelibus ad Jordanem: ubi tùm Baſilius in ripa conſiſtens, humi ſe proſtravit, & cum clamore valido, & lachrymis petebat à Deo aliquod ſuæ fidei ſignum oſtendi; ſurgenſque cum tremore, ſuis ſe veſtibus ſpoliat, unàque cum illis veterem exuit hominem: deſcendenſque in aquas orabat. Unà autem ſacerdos etiam deſcendit, eumque baptizavit.
E Et ecce coruſcus ignis incidit ſuper eos, atque ex eodem fulgure columba exiit in Jordanem, turbanſque aquam revolavit in cœlum. Eo viſo, qui adſtabant, timore correpti glorificarunt Deum. Porrò *Baſil.* baptizatus exivit ab aquis. Admirans autem Epiſcopus Baſilii in Deum amorem, orans induit eum reſurrectionis Chriſti veſtimentis. Baptizavit etiam tum *Eubulum*, unxitque utrumque ſacro chriſmate. *Amphilochius in vita S. Baſilii.*

Matrona quædam in diſtrictu montis Peſſulani in Langhodock, cum prolem ſuam longo itinere portaret ad baptizandum, accidit, ut ætas illa tenella eſt, infantem admodùm infirmari, & matrem vereri, ne ſubitò moreretur, non percepto baptiſmo. Itaque morte jam irruente, eum è ponte in ſubjectum torrentem dejecit, dicens: *Ego te baptizo in nomine, &c.* Ubi cum omnia eſſentialia adfuerint, dummodò tamen mortuus non fuerit ante baptiſmum completum, non eſt dubium, quin verus fuerit baptiſmus. Refert ex Panorm. Sylveſter *in ſumm. verb. Baptiſmus*. Quamvis hìc modus baptizandi nulla ratione ſit adhibendus.

F

Miracula circa Materiam.

Anno Chriſti Domini ſexageſimo octavo evenit, ut *S. Petrus* Apoſtolus in carcerem Mamertinum mitteretur. Ubi aſſervatus eſt à militibus *Proceſſo, & Martiniano*; qui multas ob cauſas S. Petri monitu nomen Chriſto dederunt: cùmq; non eſſet eo in loco ad illos baptizandos aquæ copia, mirabiliter è ſolido ſaxo fons erupit, è cujus aqua baptiſmus eſt adminiſtratus. *Baron. Annal. Eccl. tom.1. ad ann.68.*

Caſſiodorus lib.8. variar. lect. agens de conventu Leucotheæ in Lucania, & fontem irriguum deſcribens, tale ibi refert miraculum: Eſt locus ipſe camporum amœnitate diſtenſus, ſuburbanum quondam Coſilinatis antiquiſſimæ civitatis, qui à conditore ſanctorum fontium Marcellianum nomen accepit. Hìc erumpit aquarum perſpicua, & dulcis ubertas; ubi in modum naturalis antri, apſidis fabricata concavitas, ſic perſpicuos liquores emanat, ut vacuum putes lacum, quem non dubitas eſſe pleniſſimum. Hìc perlucidus uſque ad fundum patet, ut aſpectibus tuis aerem potiùs apparere judices, non liquorem. Æmulatur ſerenam diem aqua ſubtiliſſima: nam quidquid in imo geritur, inoffenſa
G aeris claritate monſtratur. Et paulò poſt: Longa ſunt illius fontis memoranda deſcribere: veniamus ad illud ſingulare munus, ſanctumque miraculum. Nam cum die ſacratæ noctis precem Baptiſmatis cœperit ſacerdos effundere, & de ore ſancto ſermonum fontes emanatæ, mox in altum unda proſiliens aquas ſuas non per meatus ſolitos dirigit, ſed in altitudinem, cumuloſque tranſmittit. Erigitur brutum elementum ſpontè ſua, & quadam devotione ſolemni præparat ſe miraculis, ut ſanctificatio majeſtatis poſſit oſtendi. Nam cum fons ipſe quinque gradus tegat, eoſque tantùm ſub tranquillitate poſſideat: aliis duobus cernitur creſcere, quos nunquam præter illud tempus cognoſcitur occupare. Magnum, ſtupendumque miraculum, fluenta labentia ſic ad humanos ſermones vel ſtare, vel creſcere, ut eis credas audiendi ſtudium minimè defuiſſe. Fiat venerabilis omnium ſermone fons iſte cœleſtis. Habet & Lucania Jordanem ſuum. Ille exemplum Baptiſmatis præſtitit, hìc ſacrum miniſterium annua devotione cuſtodit. Quapropter & reverentia loci, & utilitas rei dare debet populis ſanctiſſimam pa-
H cem.

Aliud non minùs illuſtre miraculum legimus apud *Gregor. Turonenſem*. Eſt piſcina apud Oſter campum in Luſitania antiquitus ſculpta, varioque marmore ad modum Crucis compoſita, & ſuper eam templum magnificum jam olim à Chriſtianis exſtructum. Itaque adveniente quotannis die, qui cœnæ Dominicæ ſacer eſt, conveniunt cum Epiſcopo cives, templique oſtia ſignaculis muniunt, eaque in diem tertium, qui Sabbathum eſt Paſchæ, reſerant. Mirum dictu! Piſcinam, quam vacuam reliquerunt, plenam & altiore cumulo refertam inveniunt, laticeſque huc illuc fluctuare, neque in partem diverſam defluere, conſpiciunt. Itaque juxtà ritus Eccleſiæ eam Pontifex benedicit, & populus certatim effert, ut in domibus, & aliis locis aſpergat: neque tamen minuitur cumulus, eadem ſemper quantitate remanente. *Baron. tom.7. Annal. ad annum* 548.

Tempore *Leonis I. Rom. Pontif.* circa annum Chriſti 417. fuit in ditione Lylibæi, vico, cui nomen Meltinas, loco dumoſo, & ſylveſtri, Eccleſia, & in ea fons baptiſmalis, qui nocte ſolemnitatis Paſchalis, ea ipſa hora, qua baptizandi ſalutaribus undis

A undis expiari ſolebant, aqua ad ſummum replebantur. Accidit autem, occidentalem Eccleſiam eo anno ex ſupputationis errore Paſcha non celebrare tempore debito. Unde dum ex more ad Eccleſiam Meltinatem veniunt presbyteri, ut baptizarent, baptiſterium omninò vacuum repererunt. Verùm ubi dies advenit, in quem ut Paſcha incideret, temporis ordo requirebat, fons ſacer hora competenti repletus eſt: evidentique miraculo occidentalium error manifeſtus fuit. *Ex epiſt. Paſchaſii Epiſc. Lilybæi ad Leonem Pontificem.*

Circa materiam Baptiſmi, abuſus, & opiniones.

Manichæi, qui res corporales à dæmone creatas differebant, ſimul etiam contendebant, baptiſmum in aqua fruſtrà adhiberi, imò per ſe malum. Vide *S. Auguſt. lib. de hæreſ. c.46.*

Marcioniſtæ, quamvis aquam dicerent effectum mali principii, ideſt diaboli, tamen in baptiſmo eam adhibendam cenſebant, quòd ita Chriſtus præcepiſſet. Unde eleganter *Theodoret.* ſcribit, ſe noviſſe ſenem quendam Marcioniſtam, qui fatebatur quidem aquam in baptiſmo adhibendam, tamen eam ita oderat, ut ne faciem ea ablui pateretur; ſed proprio ſputo id faceret, ne ſcilicet creatore indigere videretur, *lib.1.*
B *Fab. hæret.*

Seleuciani, & Hermiani aquam baptiſmo excludebant, eò quòd Scriptura divina conferens baptiſmum Chriſti cum baptiſmo Joannis, affirmet Chriſtum baptizatum in Spiritu S. & igne. *Philaſtrius lib. de hæreſ. Aug. lib. de hæreſ. cap.59.*

Eodem fundamento *Iacobitæ*, non aquam, ſed ignem materiam baptiſmi aſſerentes, characterem Crucis candenti ferro frontibus baptizatorum inurebant. *Ita Prateolus, verbo Iacobitæ.*

Alii, qui nomen *Flagellantium* obtinent apud *Prateolum*, aſſerebant, non ex aqua, ſed proprio ſanguine flagellis ex corpore expreſſo eſſe baptizandum. *Idem ibid.*

Pauliciani pro elemento aquæ ſubſtituunt hæc verba: *Ego ſum aqua viva. Euthymius in 2. par. Panopoliæ tit.21.*

Martinus Lutherus rogatus, num deficiente aqua liceat baptizare in lacte, aut cereviſia? reſpondit primùm, judicio divino id eſſe committendum: addidit deindè, quidquid balnei nomine nuncupari poteſt, illud eſſe idoneum ab baptiſmum. Unde conſequitur, in vino & lacte, juxtà Lutherum, fieri poſſe baptiſmum. *In Simpoſiacis colloq. cap.17.*

C

* FORMA BAPTISMI.

Vera, eſſentialis, ac neceſſaria Baptiſmi forma, quoad ſubſtantialem ſenſum, eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Siquidem *Chriſtus* Sacramentorum novæ legis auctor, miſſurus Apoſtolos *Matth. c.28.* juſſit, ut docerent omnes gentes, addens: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spir. S.* Quæ verba, accedente Eccleſiæ traditione, & interpretatione, continent propriam Baptiſmi formam; eaq; Eccleſia Latina ſemper uſa eſt, expreſſa ſcilicet perſona miniſtri, eiq; ut inſtrumento immediatè agenti attribuendo actionem baptizandi.

Græci paulò aliter Formam baptiſmi exprimunt: dicunt enim: *Baptizetur*, nempè à Chriſto, vel Deo; *ſervus Chriſti, In nomine Patris, &c.* ita ut ne implicitè quidem inſinuetur nomen Miniſtri: qui cum ſit tantùm inſtrumentum neceſſariò exprimi non debet.

Volunt quidam, *Apoſtolos* ſtatim poſt Chriſti in cœlos aſcenſionem, baptizaſſe hac forma: *Ego te baptizo in nomine Chriſti, vel in nomine Domini Ieſu*; & colligunt ex *cap.2. 8. &*
D *10. Act.* ubi dicitur, Baptizati tantùm erant in nomine Domini Jeſu. Idq; ut illi aſſerunt, ex diſpenſatione ſingulari, ut nomen Chriſti amabile redderetur Judæis. Verùm quandoquidem talis diſpenſatio potiſſimùm initio promulgatæ legis, cum examuſſim obſervanda ea fuerat, in ſcriptura fundamentum non habeat: verior ſententia eſt, nunquam Apoſtolos aliter, quàm in nomine SS. Trinitatis, ſub expreſſa Perſonarum omnium invocatione, baptizaſſe. *Lucam* verò in Actis mentionem facere baptiſmi Chriſti, quia eum Chriſtus inſtituiſſet, & præcepiſſet: utque diſtingueretur baptiſmus ipſius à baptiſmo Joannis, quo plures baptizatos conſtabat.

Ideòque Eccleſia in Conciliis ſuis, & decretis, ſemper deteſtata eſt baptiſmum ſub alia verborum forma, quàm ſuperiori, collatum. Vide *can.49. Apoſtol. Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch. cap.2. Iuſtinum Apologia 2. Athanaſ. cont. Arianos ſerm.3. Baſilium lib.2. de Spir. S. &c. Origenes in cap.6. epiſt. ad Romanos*, diſertè dicit: Non haberi ratum Baptiſmum in nomine ſolius Chriſti, niſi addantur aliæ perſonæ.

Quin *Paulus* Apoſtol. dicentibus ſibi: *Neque ſi Spir. ſanctus eſt, audiamus*, reſpondebat: *In quo ergo baptizati eſtis?*
E Inſinuabat autem, eo tempore ſolitum conferri baptiſmum etiam expreſſo nomine Spiritus ſancti: cùmque non conſtet datum in nomine ſolius Spiritus ſancti, colligitur datus in nomine trium perſonarum. *Actor. cap.19.*

Cum enim in lege Euangelica explicita Trinitatis fides ſit per ſe loquendo neceſſaria ad ſalutem, omninò conveniebat, in baptiſmo, qui eſt janua Eccleſiæ, & aliorum Sacramentorum, fieri expreſſam invocationem illius, cum ſit objectum primarium, & fundamentum totius fidei, & principalis cauſa, tam ipſius baptiſmi, quàm omnium myſteriorum novæ legis.

Falſa Latinitas non vitiat formam.

Anno Domini 743. tempore *Zachariæ Papæ II. & Conſtantini Copronymi Imp.* duo viri religioſi *Virgil.* atque *Sidonius*, Dei nutu, propagandi Euangelii cauſa in Bojoariam venerant (ex Hybernia Virgilius, Sidonius unde, neſcimus) Bonifacio loci Epiſc. noti, cujus & diſciplinæ ſubditi erant: cum oborta aliquando occaſione, opus eſſet contradicere eidem Bonifacio, veritate cogente, dum ipſi videretur eſſe baptizandos, quos miniſter forma ſolita, ſed vitiata latinitate baptizaſſet, modeſtiæ conſulentes, maluerunt eum
F monendum eſſe per Romanum Pontificem, quàm urgere publica diſputatione coram Eccleſia. Quamobrem de his ſcripſere ad Zachariam Papam, qui acceptis litteris ad Bonifacium ita conſcripſit: Virgilius & Sidonius viri religioſi apud Bojoariorum provinciam degentes, ſuis apud nos litteris uſi ſunt, per quas intimaverunt, quòd tua reverenda fraternitas eis injungeret Chriſtianos denuò baptizare. Quod audientes nimis fuimus conturbati, & in admirationem quandam incidimus, ſi habetur, ut dictum eſt. Retulerunt quippè, quòd fuerit in eadem Provincia ſacerdos, qui Latinam linguam penitùs ignorabat, & dum baptizaret, neſciens Latini eloquii infringens linguam diceret: Baptizo te in nomine Patria, & filia, & ſpiritua ſancta: & per hoc tua reverenda fraternitas conſideravit rebaptizare. Sed ſanctiſſime frater, ſi ille, qui baptizavit, non errorem introducens, ac hæreſim, ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam, ut ſupra fati ſumus, baptizans dixiſſet, non poſſumus conſentire, ut denuò baptizarentur; quia (quod benè tua compertum habet ſancta fraternitas) quicunque baptizatus fuerit ab hæreticis in
G nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, nullo modo rebaptizari debet. Nam, ſanctiſſime frater, ſi ita eſt, ut nobis relatum eſt, non ampliùs à te prædicentur hujuſmodi, ſed ut ſancti Patres docent, & prædicant, ita tua ſanctitas ſtudeat conſervare. *Baron. tom.9. Annal. ad annum* 744. *ex Zachar. PP. epiſt.4. Rom. Pont.*

Miracula ob Formam Baptiſmi vitiatam.

Arriani, quòd nollent Filium Patri æqualem, non iiſdem verbis utebantur, quibus Catholici; ſed illorum forma immutata, filium ſignificabant Patre minorem. Contigit igitur, quod ſumus dicturi, valdè admirandum, ut Arrianus baptizaturus more ſuo accederet ad fontem aquarum plenum: ubi eò venit, continuò aqua omnis evanuit; quò fugeret, nullus apparebat exitus: noluit impio cultui ſe exhibere. Id teſtantur *Paulus Diacon. & Zonaras apud Thom. Boſium tom.1. de ſig. Eccl. lib.1. cap.26.*

Tempore *Anaſtaſii* Imp. XVI. & Symmachi Papæ VI. ſub annum Chriſti Domini 506. Deuterius Arrianorum Con-
H ſtantinopoli Epiſc. cum Barbatem quendam, ſic dictum, baptizaret, reprobata, & corrupta Dominica traditione auſus eſt inter baptizandum dicere, Baptizetur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu ſancto. Quo dicto aqua ex Colymbetra evanuit: Barbas verò arrepta fuga exivit, & miraculum hoc cunctis ſignificavit. *Niceph. lib.16. c.35.*

Antharith nefandiſſimus Longobardorum Rex, in ſolemnitate Paſchali, quæ paulò ante expleta fuerat, ſuorum filios in fide Catholica baptizari prohibuerat. Pro qua culpa Divina Majeſtas eum extinxit, ut ſolemnitatem Paſchalem ulteriùs non videret. Monet proindè *Gregorius* univerſos Italiæ Epiſcopos dicere, ut cunctos per ſua loca Longobardos admoneant, quia gravis mortalitas imminebat, ut eoſdem filios ſuos in Arriana hæreſi baptizatos, quos poſſent, ad Catholicam fidem conciliarent, quatenùs ſuper eos iram Domini omnipotentis placarent, ut cum ad diſtricti conſpectum judicis venturi eſſent, pro ſua ſolicitudine lucrum in Domino oſtentare valerent. *D. Greg. lib.20. Regiſt. epiſt.17.*

Circa

Circa formam Baptiſmi errores.

Fuerunt tempore Apoſtolorum nonnulli, qui baptizabant in nomine trium principio carentium, hoc eſt, trium Patrum, vel trium Filiorum, vel trium Paracletorum. Qui error damnatus eſt *Canone* 48. *alias* 49. *Apoſtolor.*

Circa eadem tempora *Marcus* magicæ artis peritus, à quo *Marcitæ* hæretici, inter alios errores docebat, Deum in Prophetis prædicatum, non eſſe patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti: quia ille, ut dicebat, ignotus erat, hic autem cognitus, Unde diſcipuli ejus hac forma baptizabant: *In nomine ignoti Patris omnium, & veritate omnium matre, & in eo, qui deſcendit in Ieſum, &c. Irenæus lib.1.adverſ.hæreſ. c.8. Euſeb.lib.4.hiſt.Eccleſ.cap.11.*

Nonnulli ex ejuſdem erroris ſectatoribus, nomina Hebraica ad terrorem adſtantium pronuntiant ſuper initiatos, idque voce terribili: ut refert *Paulus à Caſtro lib.3. adverſ. hæreſ.verbo Baptiſm.*

Cataphryges & Pauliniſtæ omninò recuſabant baptizare in nomine SS.Trinitatis, ut habetur *q.1. c. Pauliniſtæ, & Inn.1. Epiſt.22. cap.5.* Ideòque denuò baptizari jubentur *in Concil.Nicæno can.19.*

Quidam *Arriani* baptizabant in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto. Refert *Nicephorus lib.13. cap.35.*

Alii etiam non ſervabant conſuetam baptiſmi formam: ut colligitur ex *Concil.1. Arelatenſi can.8.* ubi jubentur interrogari, ſi quando ad Eccleſiæ gremium revertebantur, ſub qua verborum forma baptizati eſſent à ſuis. Conſtat enim, quòd & Catholicos ſubindè rebaptizabant: ut teſtatur *Aug.lib.de hæreſ.cap.49.*

Eunomiani baptizabant non in nomine trium Perſonarum, ſed in Domini morte. Ita *Socrates lib.5.cap.23.*

Græci uſque adeò adhærebant formæ ſuæ, quæ bona alioquin erat, & vera, ut auderent rebaptizare in Latina Eccleſia baptizatos, quòd formam, *Ego te baptizo, &c.* dicerent non eſſe convenientem, aut veram. Qui error damnatus fuit *in Concil. Lateranenſi ſub Innoc. III. cap.4.*

Lutherus, Zvvinglius, & Brentius, quamvis communi forma cenſeant eſſe baptizandum, tamen affirmant, eam non eſſe neceſſariam neceſſitate Sacramenti: ac ratum eſſe baptiſma, dummodò in nomine Dei adminiſtretur; imò etiamſi nulla verba pronuntientur. *Luther.in lib.de captiv. Babylon. cap.de baptiſm. Zvvingl. lib.de vera, & falſa relig. cap. de baptiſmo ſub finem. Brent. in catechiſmo cap. de baptiſmo.*

D. Bernardus dicit ſuo tempore, fuiſſe quendam, qui ex imperitia baptizaverat in nomine Dei, & ſanctæ, ac vivificæ Crucis. *Epiſt.340. ad Henricum.*

Refert *Ioan. Eckius hom.10. de baptiſmo*, quoſdam Zvinglianos baptizaſſe in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; qui eſt manifeſtus Arrianiſmus.

Ioan.Brent. ſuprà, quamvis moneat, ut in baptiſmo ſervetur forma vulgaris: tamen verum baptiſmum cenſet, quando miniſter, poſtquàm à catechumeno audivit confeſſionem Symboli, dicit: In hanc confeſſionem intingo te in aquam, ut hoc ſignaculo certus ſis, te eſſe inſertum in Chriſto.

Olim *Priſcillianiſtæ* nolebant uti duplici diſtinctione inter perſonas SS. Trinitatis, ſed ita formam pronuntiabant: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii Spiritus Sancti*: perſonam Filii, & Spiritus Sancti, velut unam deſignantes: tamen ad errorem talium convincendum ſufficere, dicebat *Vigilius*, quamvis illegitimus S.Petri ſucceſſor, *Epiſt. ad Eutherium Epiſc. Luſitaniæ*, verba Chriſti, qui baptizari juſſerat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Refert *Cardin.Baronius tom.7. Annal.ad annum* 537.*num.*24.

* *Baptiſmi ritus quoad ablutionem, immerſionem, &c.*

Olim, tam in Orientali, quàm Occidentali Eccleſia, adhibitam immerſionem in baptiſmo, docent omnes veteres: at non eſſe eam neceſſariam, certiſſimum eſt.

Habemus exemplum *Chriſti*, qui cum baptizaretur à *Ioanne*, deſcendit in Jordanem abluendus, non immergendus. *Matth.cap.3.*

Imò aliud præceptum non habemus, quàm baptizandi, hoc eſt abluendi. Unde dicit: *Baptizantes eos, &c. Ibid.cap.28.*

Confirmatur ex facto Apoſtolorum, qui die Pentecoſtes unica vice baptizarunt tria millia, non immerſione, aut effuſione, ſed aſperſione: ut vult *Carthuſianus, Act.c.2.verſ.41.*

Sic etiam viſo miraculo, quod *S.Petrus* ediderat in curatione claudi: *Factus eſt numerus credentium quinque millia*: qui tamen omnes baptizati ſunt, non immerſione; ſic enim multi dies fuerant inſumendi; ſed aſperſione. *Ibid.c.4.*

S.Cyprianus etiam de ſua ætate teſtatur, quoſdam in ægritudine poſitos, lectoque adfixos, aqua conſperſos baptiſmum accepiſſe. *Epiſt.76. ad Magnum.*

De Trina immerſione.

Ex Apoſtolica traditione ea adhibetur, ad ſignificandam eo ſymbolo, perſonarum in divinitate Trinitatem, ſive triduanam Chriſti ſepulturam. *Tertul.de cor. militis cap.3. Baſilius de Spir.Sancto cap.27.*

Notavit *S. Thomas Aquinas*, morem hunc mergendi, ſtatim poſt tempora Apoſtolorum à quibuſdam abrogatum, quòd de SS. Trinitate perperàm ſentirent, & Chriſtum purum hominem prædicarent, *p.3.q.65.art.8.*

Eunomius Galata, homo impurus, & impius, tam infenſus hoſtis exſtitit SS.Trinitatis, ut etiam quælibet ſymbola, quibus ea ſignificabatur, amovere laboraret: unde & trina, quæ in baptiſmo fieri ſolita, immerſionem ſuſtulit. Quod ut integrè præſtare poſſet, ait *Theodoret.* plures baptizandi modos excogitavit: inter alios illum, cum baptizandum ſuper ſubſellium inclinatum ponunt, foras tantùm capite prominente: vel cum hominem in baptiſterio poſitum, totum pannis ad ungues uſque obvolutum, parte ſuperiori capitis cum pectore nudo relicto baptizabant. *Theod.l.4.hæret.fabular.*

Fuerunt etiam, qui in Domini morte baptizabant, & ad eum ritum introducendum unicam adhibebant merſionem: contra quos agit *Canon.Apoſt.49.* ubi ita concludit: Non enim dixit Dominus, In morte mea baptizate, ſed, In nomine Patris, &c.

Unicam tamen immerſionem ad Sacramenti valorem ſufficere, certiſſimum eſt, & convincunt exempla Scripturæ ſupra allata.

* *Baptiſmi Reiteratio.*

Nunquam ea facienda, dummodò baptiſmus ſemel debitè ſuſceptus. Hinc in Symbolo confitemur, *Vnum baptiſma.* Ratio autem eſt Chriſti inſtitutio, & conſenſus Eccleſiæ nunquam antehac interruptus. Quibuſdam tamen caſibus, putà cum dubium eſt, an quis ſit validè baptizatus, ut accidere ſolet in pueris expoſitis, aut projectis, licet baptizare ſub conditione, dicendo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.*

Culpa, & Pœna Baptiſmi iterati.

Baptiſmum reiterare, dicit *S. Aug.* omninò peccatum, & immane ſcelus. *De conſecr.diſt.4.cap.rebaptizari.*

Inexpiabile facinus vocat *Leo I.ead.diſt. cap.cum itaque.*

Eſt enim tam contra ſubſtantiam Sacramenti, quàm reverentiam ei debitam: quaſi priùs fuiſſet inefficax, & invalida.

Jure civili, tam rebaptizato, quàm rebaptizanti, pœna capitis decernitur, *l.2.C.ne ſanctum baptiſma iteretur.*

Jure Canonico, rebaptizans fit irregularis, *cap.2. extra, de Apoſt. qui eſt Alex.III.* Similiter rebaptizatus: *Conſtat ex ep. Fœlicis III. & habetur cauſ.1.q.7.c.Qui in qualibet.*

Temporibus *Henrici Regis*, monachi numero ſeptem, fratres, quantum pertinet ad concordiam Dominicæ ſervitutis, in unum in monaſterio habitantes, quos una mater Eccleſia Catholica genuerat, & per viſcera fontis æterni ſalubriter pepererat, de territorio Capſenſis civitatis, cui præfuit S. Unidemialis, ſacerdos egregius, & Chriſti fidelis Antiſtes, apprehenſi ſunt. Quibus attractis ad urbem Carthaginenſem, primò eis, illecebroſis blandimentis, ſerpens voluit ſibilare, promittens honores caducos, & divitias ingentium voluptatum, necnon & Regis amicitias, vel alia multa, quæ ſolent inſipientium animas, occupante diabolo, viſco mundiali captare. Sed hæc omnia milites Dei, ac ſi contagia, reſpuerunt, clamantes uno ore: *Vnus Dominus, una fides, unum baptiſma*. Nec poterit in nobis, adjuvante Domino, iterari, quod in ſancto Euangelio ſemel præceptum eſt dari: quia *qui ſemel lotus eſt, non habet neceſſe iterùm lavari, quia mundus eſt totus*. Facite quod vultis, inferte pœnas corporibus noſtris: melius eſt temporalia ad modicum ſufferre ſupplicia, quàm æterna pendere, & ſubire tormenta. Habete quæ promittitis, cum ipſis divitiis poſt paululùm perituri. Nobis verò nullus de poſtibus fontium valebit evellere, quod in uno baptiſmate artifex Trinitatis dignatus eſt titulare. Quid multa? Dum tali conſtantia divinitùs munirentur, juſſi ſunt carcerali cuſtodiæ mancipari. Et ita crudeliùs onerati ferri ponderibus, tenebroſis deputati ſunt locis, ubi nulla miſeratio arrideret lenitatis. Sed populus ille memoratæ urbis in Domino ſemper fidelis, fredato munere carceratis, die ac nocte Chriſti martyres frequentabat, & ita ab eis doctrina, & virtute fidei roborabatur, ut talia etiam ipſi pro Chriſti nomine plena delectatione perferre cuperent, & capulo perſequentis facilia ſupponerent colla. Hoc autem tyrannicas pervenit ad aures. Qui ebrietate furoris accenſus, jubet eos adhuc inauditis ſuppliciis adigi, & majoribus vinculis onerari, navimque imperat lignorum aridorum manipulis adimpleri, atque in eadem omnibus alligatis, in medio pelago igne ſuppoſito concremari. Eductiſque illis de cuſtodia, multitudo populi Dei bellatores Trinitatis quaſi agnos innocuos ad victimam deducebat, & rigentium pondera catenarum quaſi quædam monilia pervidebat, quia non fuerunt illa vincula, ſed potiùs ornamenta. Incedebant itaque cum fiducia ad ſupplicium, quaſi ad epulas concurrentes, una voce per ambitus platearum Domino decantantes: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Votiva nobis hæc dies eſt, & omni feſtivitate feſtivior. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, quando pro fide Domini Dei noſtri perferimus præparatum ſupplicium, ne amittamus acquiſitæ fidei indumentum. Sed & populus publica voce clamabat: Ne timeatis, ò populi Dei, neque formidetis minas atque terrores præſentium tribulationum; ſed potiùs moriamur pro Chriſto, quomodo ipſe mortuus eſt pro nobis, redimens nos pretio ſui ſanguinis ſalutaris. Unum tamen vehementi conatu, qui inter eos infantulus videbatur, nomine Maximum, cupiebant authores malorum à Sanctorum conſortio ſeparare, dicentes: Infantule, quid feſtinas ad mortem? dimitte eos, inſaniunt, & audi conſilium noſtrum, ut poſſis invenire vitæ remedium, & tanti regis adire Palatium. Tunc ille ætate quidem puerili, ſenili tamen maturitate clamabat: Nemo me ſeparet à ſancto patre meo Liberato abbate, & fratribus meis, qui me in monaſterio nutrierunt. Cum ipſis ſum in timore Dei converſatus, cum ipſis deſidero paſſionem ſuſcipere, cum quibus credo me & futuram gloriam invenire. Nolite putare, quia poteſtis ſeducere pueritiam meam. Simul nos Dominus ſeptem voluit congregare, ſimul dignabitur omnes uno martyrio coronare. Quomodo nemo perire potuit de ſeptenario illo numero felicium Machabæorum, ita etiam ſeptenus noſtræ congregationis numerus nullum inveniet detrimentum. Nā ſi negavero eum, & ipſe negabit me, quoniam ab ipſo dictum eſt: Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui eſt in cœlis: Et qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui eſt in cœlis. Perducti itaque cum feſtinatione ad navale ſupplicium pro voluntate infandi regis, vel crudelium miniſtrorum, extenſis manibus & pedibus clavati feruntur potiùs quàm ligati. Qui, dum ignis fuiſſet lignis injectus, ſtatim imperio divino videntibus cunctis extinctus eſt. Et dum ſæpiùs renovaretur nutrientibus pabulis, iterum atque iterum extinguebatur rogus globo flammarum. Et cùm exindè magis tyrannus furore ſimul eſſet & rubore repletus, juſſit, eos remorum vectibus enecari, & ſingulos in modum canum cerebris comminutis extingui. Qui tali in genere mortis debitum ſpiritum feliciter Domino reddiderunt. Nec expaverunt lignis quatientibus mortificari, quibus ſemper fuit ſpes omnis in ligno. Sed cùm in mari venerabilia corpora jactarentur, illicò, quod contra naturam eſt æquoris, eadem hora illæſa corpora pelagus littori reddere maturavit: nec auſum fuit, ut moris eſt, triduana dilatione in profundo retinere, ne præcepto Dominico minimè paruiſſet. Ad quod miraculi genus & ipſe tyrannus, licèt impœnitens, ut fertur, expavit. *Victor Vticenſis lib.3.*

Baptizantes.

Olim Donatiſtæ baptizabant quoſcumque à Catholicis baptizatos, cum illorum contubernio adſcriberentur. Unde eorum errorem ſuſtulit & damnavit *Concil.1. Carthag.* ſub *Grato* Epiſcopo celebratum Anno Chriſti 348. ut ad eundem *Annum tom.3.* tradit *Cæſ. Baron. num.41.*

Idem etiam feciſſe Arrianos, ex hiſtoriis conſtat, quòd non ſuſtinerent expreſſam Trinitatis invocationem. Imò & ſumma vi compuliſſe ſubindè ſemel baptizatos ad iteratum baptiſmum, ſubjectis exemplis docetur.

Tempore perſecutionis Vandalorum Traſimundus perſecutionem in Chriſtianis exercuit, ac totam Hiſpaniam, ut ad perfidiam Arrianæ ſectæ conſentiret, tormentis ac diverſis mortibus impellebat. Unde factum eſt, ut puella quædam religioſa, prædives opibus, ac ſecundum ſæculi dignitatem nobilitate ſenatoria florens, & quod his omnibus eſt nobilius, fide Catholica pollens, Deoque omnipotenti irreprehenſibiliter ſerviens, ad hanc quæſtionem adduceretur: cumque Regis fuiſſet oblata conſpectibus, cœpit eam primùm ad rebaptizandum blandis ſermonibus illicere. Quæ cùm ejus venenoſum jaculum fidei parma propelleret, præcepit Rex facultates ejus auferri, quæ jam mente poſſidebat regna paradiſi, deindè ſuppliciis applicata ſine ſpe præſentis vitæ torqueri. Quid plura? Poſt multas quæſtiones, poſt oblatos terrenarum divitiarum theſauros, cùm ad hoc frangi non poſſet, ut beatam ſcinderet Trinitatem, ad rebaptizandum invita deducitur. Cumque in illud cœnoſum lavacrum vi cogeretur immergi, ac proclamaret: Patrem cum Filio, & Spiritum Sanctum, unius credo eſſe ſubſtantiæ eſſentiæque, digno aquas unguine cunctas infecit, id eſt, fluxu ventris aſperſit. Et hinc ad legitimam deducta quæſtionem, poſt aculeos, poſt flammas, & ungulas, Chriſto Domino capitis deciſione dicatur. *Greg. Turo. lib.2.hiſt. Franc.cap.2.*

Cum Epiſcopus Habet deum nomine, ab impio Hunerico relegatus eſſet, diverſis eum perſecutionibus afflixit Antonius homo ferox, Arrianus: & cùm non poſſet eum facere Arrianum, videretque Chriſti militem ſemper in confeſſione conſtantem, promiſerat ſuis, dicens: Niſi eum noſtræ fecero religionis, non ſim Antonius. At ubi in ſua promiſſione minor inventus eſt, ſuggerente ſibi diabolo, cogitat aliud. Pedibus manibuſque ligatis, vinculis ingentibus arctat Epiſcopum, oreque obturato, ne lingua clamaret, aquam corpori, ut putabat, rebaptizationis ſpargit, quaſi valeret conſcientiam ligare cum cordis corpore, aut non adeſſet qui audit gemitus compeditorum, & ſecreta rimatur, vel ſuperare poſſet aqua mendax tantæ voluntatis propoſitum, quod jam homo Dei metantibus lacrymis miſerat legatum in cœlum. Exuit ſtatim virum vinculis, & tali quaſi gaudens proſequitur voce: Ecce jam frater Habet-Deum noſter Chriſtianus effectus es: quid ultra facere poteris, niſi ut voluntati conſentias Regis? Cui Habet-Deum: Illa eſt impiæ, Antoni, mortis damnatio, ubi voluntatis tenetur aſſenſio: Ego fidei meæ tenax, vocibus confidens crebris, quod credidi, clamando defendi. Sed & poſteaquam catenis vinxiſti, & oris januam opilaſti, in prætorio cordis violentiæ meæ ſcribentibus Angelis geſta confeci, & lectitanda Imperatori meo tranſmiſi. *Vict. Vticenſ.l.3. de perſ.Vad.*

Anabaptiſtæ etiam Novatores hoc tempore baptiſmum differunt in adultam ætatem: unde & pueros ab aliis baptizatos rebaptizant. *Vide locum de iiſdem.*

Miracula circa iteratum Baptiſmum.

Iudæus quidam veterator Chriſtianam fidem ſimulans ſæpiùs baptizatus fuit: per quam fallaciam multas corraſit pecunias. Poſtquam autem multos ex variis ſectis homines (Arrianorum enim & Macedonianorum baptiſmum receperat) dolo ludificatus non habebat ampliùs, quibus imponeret, tandem ad Paulum Novatianorum Epiſcopum venit, ait ſe magna cupiditate baptiſmi recipiendi flagrare; per ejus manum ut illud aſſequatur, orat. Paulus ejus probat inſtitutum: verùm ſe non prius illi baptiſmum daturum ait, quàm ſit fidei articulis inſtitutus, dieſque quamplures jejuniis vacaverit. Judæus contra volutatem jejunare coactus, acriter inſtare, uti baptiſmo donetur. Paulus quoniam illum tam obnixè baptiſmum petentem mora nolebat offendere, parat res ad baptiſmum neceſſarias: cumque veſtem candidam pro illo emiſſet, & alveum baptiſterii aqua impleri juſſiſſet, Judæum eò deduxit, ut illi baptiſmum impertiret. Verùm aqua univerſa, divina quadam virtute, quæ oculis cerni præcipuè non poterat, ſubitò exhauſta eſt. At cùm neque Epiſcopus, neque alii qui aderant, accuratè conſiderarent, qua ratione id accidiſſet, ſed aquam per foramen, quod in imo alveo fuit, per quod etiam aliàs aquam ſolebant educere, effluxiſſe exiſtimarent; alveum baptiſmi de integro, foraminibus undiq; in eo firmè obturatis, diligenter implent. At cùm Judęus eſſet ſecundò in alveum baptiſterii deductus, aqua rurſus penitùs evanuit. Itaque Paulus: O homo (inquit) aut veteratoris partes agis, aut baptiſmum ignorans recepiſti. Quare ubi ob miraculum à multis eò concurſum erat, fortè quidam Judæum de facie novit, eumque ab Attico Epiſcopo baptizatum viderat. *Socr. lib.1. hiſt.cap.17.Sozom. Niceph.lib.14.cap.17. Sigebertus ad annum Chriſti 46.*

Ab Hæreticis baptizati non ſunt rebaptizandi.

Nempè dum adhibitis iis, quæ ad Sacramenti ſubſtantiam exigũtur, baptizãt. Ita ante annos nongẽtos prudẽter definivit *Dionyſius Alex. Epiſt.5. ad Sixtum Rom.* Ubi cum multa adverſum hæreticos dixiſſet, tale quid ſuo tempore factum